



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.
DIE XXII. OCTOBRIS.



Roma. a. d. 27, Sept. Eminentissimus Cardinalis Albanus, superiori die saturni, speciali indultu, Pontificem maximum adiit. Eminentiss. autem Cardinalis Schönbornius, Georgium Spinolam atque Contium Cardinales, Principes item atq; Duces omnes, reliquosq; Pontificis Maximi cognatos, lautissimis excepit epulis. Nudius abhinc quartus Consilium sanctius instituit Pontifex, in quo tantum de procuratione Templorum actum est. Nudius vero tertius Pontifex Maximus præcipuos omnium ordinum Sacrorum ad se arcessendos, perque Cardinalem Spinolam S. sedis Syndicum, examinandos, curavit, cuius tamen rei causa cognita nemini est.

Diffensio, quæ inter Pontificiam & Sabaudicam aulam erat, composita iam tota est. Inter alias conditiones, de quibus conuentum est, & hanc esse perhibent: Ducem Sabaudix, quoties Episcopatus aliqui, aut alia munera sacra fuerint vacuefacta in ditionibus suis, hos, qui eis præfici debeant, nominandi libertatem habiturum: Abbatiam tamen B. Mariæ Lucedix, quæ in Pedemontio est, cuius annuus redditus 20000. circiter millium Vallensium sunt, hæreditariam fore domui *Contiana*, quod si vero nullus ex eadem familia superesset, cui traderetur, Pontificem tum pro lubitu suo eam cuicumque tradere posse.

Genue, a. d. 27. Sept. Ante hos quinque dies navis quædam Tabarca huc accessit, cuius vectores, de magna, quæ ibidem obtinet, annonæ caritate, nos docue-

docuerunt: eiusque rei causam esse, maximam inter barbaros illos discordiam, qua fieri, ut vrbs ea comteatu priuaretur. Quæ Nicæa ad nos sunt allata litteræ, ante nouem dies scriptæ, confirmant, Pestem in Languedocia, in dies serpere latius, in *Rutteniensis* * namque regione, & Gabalensi provincia, ** loca 30. & amplius eadem esse infecta, quæ singula obsidere, omnesque aditus munire, his qui finitimi sunt, cum nequeant, maximo sunt in discrimine.

* *Rouergue.* ** *Geuaudan.*

Mediolani, a. d. 1. Octob. Natalem Imperatoris Augustissimi, qui in hodiernam diem incidit, Præfectus noster, duces bellici, ceterique proceres atque nobiles solemniter concelebrarunt, animumque suum erga Imperatorem, testari cupientes, singuli ad Præfectum accedebant, eique Imperatoris loco, congratulabantur: quorum ille deinde plerosque cœnæ honore dignatus est. Vespere postea ipso, tormenta, quæ hic sunt omnia, tribus vicibus sunt displosa.

Venetis, a. d. 4. Octob. Proximo die Lunæ, *Excellentiss.* *Daniel Fragauius*, vna cum coniuge sua itineri sese dedit in Hispaniam profecturus, ut ibi legati munere perfungatur. Cum ante triduum nauis quædam ex insula Melita accessisset, accepimus ab eius vectoribus, duas barbarorum naues, vna cum turcis 56. a Melitensibus triremibus esse captas.

Bononia, a. d. 30. Sept. Legatus Pontificis, qui hic rerum summam administrat, ædificium quoddam splendidum extrui curat. Etsi nil nisi tristissima, quæque de morbis pestiferis nuntiantur actores, nihilominus, scenici, quibus palatium maius adornatum est,

iam huc accesserunt, fabulas suas prope diem inchoaturi.

Madritti, a. d. 6. Octob. Copiæ nostræ Cataloniam versus proficisci sunt iussæ, ut eas ibi *Marchio Leedensis* lustrare queat. Ferunt 25. legiones integras exauctoratum iri. Cum nuper *Stanhopius*, Regis Magnæ Britanniæ legatus, gemmas 5000. aureorum duplicatorum, * nomine regis sui offerret, *Marchioni Grimaldo*, cuius opera pacificatio nupera promota est, tanta hic fuit abstinentia, ut non prius, quam ei *Philippus* mandasset, eas acceperit. *Gibraltar* nuntiatum est, *Somelsdickium*, vicarium classis Hollandicæ præfectum, piratas in mari, quod Africam inter atque Hispaniam est, obseruare quam diligentissime. Ex portu Gaditano scribitur, magnas pecunias easque recenter conflatas, quæ 50. iumenta baiulabant, *Concha* ** illuc esse allatas, plures præterea Madritto atque Segouia expectari.

* *Pistolet.* ** *Cuenca Castiliæ noua vrbs.*

Lutetia Parisiorum, a. d. 18. Septemb. Pridie huius diei morte amissimus *Margaretam Ludouicam Aurelianensem*, magnam Etruriæ ducem, quæ anno ætatis septimo, & septuagesimo fati concessit. Patrem habuit *Gastionem Joannem Baptistam*, ducem Aurelianensem, quem fratrem *Ludouicus XIII.* Galliæ rex vnicum nactus erat; matrem *Margaretam Lotharingicam*, quæ anno superioris seculi quinto, & quadragesimo in lucem edita fuit. Anno, supra millesimum, sexcentesimo sexagesimo primo, nupsit *Cosmo III. Mediceo*, magnæ Etruriæ duci, eumque trium liberorum fecit parentem, qui tamen omnes, præter *Annam Ludouicam Mediceam*, *Guillemi Electoris*, Palatini viduam, ante eius obitum mortui sunt, ut adeo in

Cosmo III. omnis Mediceorum stirps prorsus extingatur. Illa, de qua diximus, *Margareta Ludouica Aurelianensis*, præterquam quod principem Spinetanam vltimæ voluntatis tabulis, ex asse scripsit hæredem, cognatæ quoque suæ Aurelianensi duci, ingentis pretii margaritas, Chatillonæ autem eximia magnitudinis adamantem testamento legasse dicitur. Ceterum non desunt, qui irritum declaratum iri, dicant testamentum, etiamsi causas illius rei haud satis idoneas adferre videantur.

Alia ex eadem vrbe, a. d. 26. Sept. Quamquam regis Hispaniæ filia iam desponsata fuit, regi nostro, vt tamen moribus receptis fieret satis, dux S. Simonius, vnus ex primoribus regni, quos Pares Galli vocare solent, breui Mantuam Carpetanorum legatus abibit, & regi filiam Hispaniæ regis petet in matrimonium. Hesternodie Boisius, purpuratus ad matrem ducis Aurelianensis se contulit, & in Fano S. Clodoaldi multum diuque cum ea colloquutus est. *a. d. 23. Sept.* Abbas Aurelianensis, sacrum solemne, quod *Missam* vocant, in fano S. Clodoaldi primum administravit: nudius tertius dux Aurelianensis aquas Balarucenses, valetudinis causa, bibere cœpit, insequentem autem die venam sibi incidi iussit. Equidem ante aliquot dies cursorem propterea Romam abiisse, perhibebant, vt is purpuratum Contium, Pontificis fratrem certiore faceret de dignitate archiepiscopi Remensis, in quam euectus dicebatur a rege; sed vanum fuisse hunc rumorem, cursoremque aliam plane ob causam Romam profectum, hoc tempore edocti sumus. Quod munus Lelandiæ commissum iri, nuper memorauimus, vt cum Ventadouria regiam

sponsam educaret, id Soubisiæ principi euenisse, resciuimus; rumor autem, quo princeps Asturiæ Montpesieriam ducis Aurelianensis filiam, & dux Carnutensis filiam regis Lusitaniæ sibi despondisse ferebatur, nunc omnis fere euanuit. Ceterum magnas immortalis Deo debere nos, fatemur, gratias, cuius ope, auxilioque factum videmus, vt pestifera lues permultum remiserit ab horrendo impetu, quo complures in Prouincia vrbes vehementer afflixerat, & depopulata fuerat. Telone Martio plateæ cum ædificiis nunc perpurgantur, & nemo admittitur in urbem, nisi litteris, quæ sanitatis fidem faciant, fuerit munitus. Hac enim ratione se facile prohibuituros sperant, ne pestilentia, quæ in quibusdam Prouinciæ locis nondum penitus extincta est, postliminio redeat. Medici, qui Lutetia Parisiorum & Montepeffulano in eam accesserant urbem, discessum nunc meditantur. *Saint-Simon.*

Londini, a. d. 26. Sept. Nauigia hic XV. parantur, eo fine, vt a littoribus nostris tum eos arceant, qui ex locis pestilentia conflictantibus aduentant, tum etiam inuentionem mercium prohibitarum impediunt. Præfectis vectigalium, herba Thee, nuper mari aduecta publicataque, iam est adiudicata, cuius pretium 12000. librarum *Sterlingicarum* æquare dicitur. Idem obseruatores vectigalium & superiori hebdomade magnam copiam vini, nec non vini sublimati, tacite inuecti, detexerunt. *Architon*, 1500. libras *Sterlingicas* legasse fertur, vt his sumtibus in Scotia Schola publica institui possit.

Libra Sterlingica 5. Thalerorum est.

Haga Comitum, a. d. 1. Octob. Nudius tertius, cum iam aduesperasceret, Comes Cadoganias ex Magna Britannia,

vna cum *Albemartio* atque *Petroborougho* Comitibus, huc accessit. *Cadoganus*, hesternâ die primum ipse Præsidem statum Belgii foederati salutavit, deinde honorem hunc a multis exterorum Principum legatis, nec non proceribus nostris, accepit.

Hafnia, a. d. 16. Sept. Qui vectigalibus in freto Oresundico recipiendis præfectus est, ante aliquot dies merces Belgarum nauibus advectas accurate inspicere, & recognoscere cœpit, causam interserens, quod pacta & conventa, commerciorum causa, a Danorum rege, cum Belgis inita, iam exspiraverint. Quanquam autem *Deursius*, Belgarum procurator, vectigalium præfecto pluribus verbis persuadere contenderet, Danos præterlapso tempore, cum ad finem vergerent eiusmodi pacta, non tam insolito rigore Belgicas perquisivisse naues & Goesium ordinum Belgii foederati ablegatum in mandatis accepisse, ut primo quoque tempore pacta cum Danis renouaret; jussibus tamen regis sibi obsequendum, respondit vectigalium præfectus, quod si autem ægre ferret, quæ facta fuerint, regem adiret. cuius vnus nutu arbitrioque hoc omnia gererentur.

Ex Heluetia, a. d. 25. Sept. Pestis aueruncandæ causa, publicæ hic instituantur supplicationes. *Marchio Badenensis** amplo comitatu stipatus itineri sese dedit, officinas, quas habet, ferrarias, aliasque fusorias, lustraturus.

Badendurchlab.

Colonia Agrippina, a. d. 26. Sept. Prædones trans Rhenum tanto numero vagantur, ut nemo fere tutus iter facere queat: maxima vero parte Iudæis constare dicuntur.

Varsavia, a. d. 8. Octob. Qui non ita pridem huc venit legatus Pontificis, *Archinto* dictus a. d. 26. Sept. morbo,

quem *Phtbifim* vocant, mortuus est. Fama est, Magnum Russorum Ducem spondisse, ea, quæ ad pacem inter nostrum & Suecorum regem componendam pertinent, primo quoque tempore se transacturum. Ferunt etiam eundem Russorum Ducem mandata mississe Principi *Repninio*, ut omnem comæatum apparatusque bellicum, in omnibus Liunionæ munimentis quam diligentissime consignatum in tabulis, ad se mitteret; cur autem id fiat, nondum perspici posse. Ceterum copias Russicas omnes, quæ ibi sunt, in hiberna concedere.

Vienna, a. d. 15. Octob. Hesternâ die Imperator Augustus de præsentium rerum statu consilia cum primoribus contulit. Eadem die corpus exanime *Celsissimi* Principis *Lichtensteinii*, in Bohemiam, ad oppidum, *Braunau* auctum est, ut ibi in monumentis auiticis reponatur.

Indidem, alia a. d. 18. Octob. Nudius tertius *Celsissimus* Princeps *Eugenius*, cum nonnullis summis ducibus bellicis, in Morauiam, ad *Excell. Comitem Trautmanstorffium* se contulit, tempus hoc autumnale, venando, aliisque oblectationum generibus ibi transmissurus. Hodie Imperator Augustus *Celsissimum* Principem *Iobannem Leopoldum Donatum Trautsohnium*, dignitate summi Aulæ Præfecti, qua *Lichtensteinus* fulgebatur, ornauit.

Posonii, a. d. 22. Octob. Conuentum, quem, uti sæpius nuntiauimus, Indulgentissimi Regis mandato, *Excell. Reg. Hung. Palatinus* eo fine indixit, ut de tributis, surgente anno pendendis, iuxta & ordinandis militum hibernis, dispiciatur, a. d. 25. inchoatum iri perhibent. Ceteroquin, vindemiatio hodie apud nos iniiit, quam & in vicinis vr-
bibus ac vicis inchoatam esse audimus.